


ELEGIA DE GLORIOSO TRIUMPHO RESVRRECTIONIS CHRISTI, SCRIPTA A HIERONYMO OSIO.



ILLA triumphantem pingunt spectacula Christi,
Qui Satanæ fracto robore uictor ouat.
Qui pede prostratum calcare domante Draconem
Cernitur, & palmam fortior hoste sequi.
Victor agit quo nunc magnum ille iacente triumphum,
Laticiaq; subit dulce recentis opus,
Quam post exhaustos merito capit ipse labores,
Quos tulit antè graues, quam prior hoste fuit.
Non humana minas Satanæ grassantis, & iram
Virtus absq; Deo ferre tuente potest.
Inde suum miseris Gnatum mortalibus addit
Tutorem ille, genus nos ut inermes regat,
Et uelut à stygio nos antè furore redemit,
Sic faciat pacem nos sine fine sequi.
Armet ut ingenti Satanæ se tota potestas
Robore, uana tamen nil ualeat ira minis.
Vimq; cathenati saxum qui ferre recusant
Dæmones, incassum probra subire negant,
Qua iuuat inuitos loca raptat ad obuia uictor,
Nolentesq; sequi flebile cogit iter.
Altera turba ducem Christum quæ stipat ouantem,
Esse tibi humanæ gentis imago potest.
Carcere quam stygio captiuam dira tenebat
Vis, Christo antè salus quam tribuente redit.
Hinc agit illa suo nunc cum uictore triumphum,
Hanc gratata sibi turba, duciq; diem.
Hinc, cui crux, & chirographon spolia addita, signum
More triumphali dextra superba gerit.
Agmen ouant pariter plausu coeleste tubarum
Angelici, exercent letitiamq; chori.
Astra poli hoc uideas etiam exultare triumpho,
Dum reducem excipiunt hæc quasi læta Deum,

Quin partum ipse pater Gnato gratatur honorem
Victori, autem
Spiritus ipse facer sic huic comes ire triumpho
Gaudet & huic pompæ tertius autor adest.
Christe quod ergo tua æternam uictoria uitam
Reddit, & hæredes illius esse facit.
Tota tibi summas ardenti Ecclesia grates
Pectore, te poscens hæc bona semper agit.

FINIS.

PRECATIO D. PHILIPPI MELANTHONS.

Quod λόγος æterni demissus ab arce parentis,
Factus & humana uictima carne fuit.
Hæc est diuina sapientia tradita uoce,
Quam uerax testis comprobat ipse Deus.
Tanta Dei bonitas, & tanta hæc federa cerni
Non possunt, doceas Tu nisi corda Deus.
Vis autem agnosci λόγος, ac ut nuncius iret
Misiisti, nobis pignus & esse iubes.
Te pater ipse simul uis & tua munera sumi
Te tribuis nobis & tua dona fide.
Ergo Gnate Dei nobis da Christe precamur,
Noticiam patris, noticiamq; tui.
Eq; tuo flammis in pectora spargito nostra,
Ut celebrent uero semper honore Deum.
Et tua sit concors, crescatq; Ecclesia, & una
Voce tuas laudes, & tu a dona canat.

Vuitebergæ Anno 1561.

